



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Assertiones Catholicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

Deus; cum Scripturæ hæc omnia expressè doceant de Christo ut Deo; sic Joannis 1. *Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est.* Et Paulus ad Colos. 2. de Christo, *in quo sunt omnes thesauri sapientie, & scientie absconditi.* Error autem Judæorum in eo stat, quòd cum non agnoscant, Christum esse Deum simul, & hominem, non capiunt plures locutiones, quæ de Christo dicuntur secundum Divinitatem, & alias, quæ secundum humanitatem; sic in Symbolo Athanasii de Christo dicitur, *equalis Pa-*

tri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Alia argumenta, quæ hic fieri possent contra substantiam Sanctissimi Mysterii Incarnationis, dissolvemus infra agentes de eodem hoc Mysterio; quæ verò attinent ad altissimum Mysterium Trinitatis, non sunt hujus loci; expendantur enim fusè à Theologis in Tractatu de Trinitate; quæ autem dedimus, satis sunt ad ostendendam Hebræorum cæcitatem.

* * *

DISPUTATIO VI.

DE DEO HOMINE CONTRA PAGANOS, ET HÆRETICOS.

242. **T**Riplex infidelitatis genus distingui solet à Theologis, videlicet Hebræorum, Paganorum, & Hæreticorum; contra Hebræos egimus disputatione præcedenti, in hac acturi contra Paganos, & Hæreticos, ut ostendatur contra omnes infideles Catholica veritas; cumq; Hæretici verus, & novum Testamentum admittant, utriusque testimoniis convinci possunt; contra Paganos verò, qui utrumque negant, difficilius agere possemus, ut Sanctissimum Incarnationis Mysterium admittant: nam cum supernaturale sit, & rebus supernaturalibus non quidem humana ratione, sed auctoritate Divina possumus firmiter adhærere, ideo magis laborandum est ad Paganos convincendos. Unde Irenæus lib. 4. contra Hæreticos cap. 41. existimavit, propterea dixisse Paulum 1. ad Corinthios 15. *abundantiùs illis omnibus laboravi;* quia cum esset Apostolus Gentium, quæ non admittebant Scripturas, difficilius fuit, eis suadere Christum esse verum DEUM, & hominem. Unde recurrendum est ad signa credibilitatis nostræ Fidei, quæ dedimus in Tractatu de Fide, quamquam etiam possumus aliquam probationem insinuare ex supra dictis, ut jam constabit.

SECTIO I.

Affertiones Catholicæ.

243. **A**Ssero 1. contra Paganos: Christus Dominus est simul DEUS, & homo: non possumus formidare, nisi imprudentissimè, quòd non sint ab aliquo excedente conditionem creatam, ac proinde, quòd non sint à DEO verba prophetica præcedenti disputatione dicta, quibus Mysterium Christi, seu DEI hominis jam ante prædicta sunt, & nunc cernuntur impleta; quomodo enim potest naturalis intellectus nisi imprudentissimè sibi fingere creaturam, quæ certissimam habeat cognitionem de futuris contingentibus, eaque tot retro sæculis possit prædicere quoad substantiam, & circumstantias omnes, ita ut

post plura sæcula perfectissimè impleantur modò, quo prædicta erant, aut quomodo possit aliquis prudenter excusationem habere in remanti momenti, à qua pender æterna salus, si hanc Fidem tot prophetis locutionibus contestatam noller credere, esse à Deo dictatam; ideo ipsum naturæ lumen ostendit, non posse prudenter negare veritatem eorum verborum Isaïæ 14. *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & dicemus, quia Dii estis vos.* Unde Tertullianus in Apolog. cap. 20. contra Gentiles agebat: *idoneum testimonium Divinitatis, veritas divinationis;* hæc omnia reddunt certè Fidem nostram credibilem, & credendam, esse à DEO dictatam; atqui ipsa Fides, quæ utpote à Deo dictata certa, & infallibilis est, docet, Christum existere verum Deum, & hominem, ut diximus; ergo &c.

Quamobrem licet testimonia supra allata directè militent contra Judæos, qui testamentum vetus tanquam DEI Verbum admittunt, indirectè reverà pugnant contra omnes Paganos, ac proinde & contra Atheos, ut inde convincantur, dari Deum, & existere Christum Dominum, qui verus est Deus simul, & homo. Unde ultra probationes, quas in Philoſophiis, & Theologia contra Atheos afferimus ad probandum, dari Deum, superadditur contra ipsos hæc efficacissima probatio. Confirmatur. Non possunt Pagani prudenter negare libros, in quibus illa Prophetiæ continentur, esse antiquiores nomine Christiano, nec prudenter suspicari possunt, esse eos à nobis confictos, cum evidenter constet, nos illos à Judæis recepisse, & hoc ipsum non solum Judæi, sed & Gentes nobiscum farentur: ergo Pagani excusati non possunt, si ex eorum librorum vaticinationibus non assentiantur & DEUM existere, & Christum Dominum esse DEUM simul, & hominem; sic arguunt Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 46. Hieronymus super 18. Isaïæ & Theodor. Orat. 10. de Provident.

Prob. 2. Quando non solum datur signum propheticum convincens, existere Christum Domi-

Dominum, qui est DEUS, & homo, sed etiam dantur alia signa id ipsum contestantia, & se explicantia tanquam signa à Deo dictata, non potest nisi per summam inutilitatem negari, ea signa esse à Deo, ac proinde rem per ea signa contestatam esse verissimam; sed ad convincendum, Christum simul esse Deum, & hominem, non solum datur signum propheticum, sed etiam dantur alia signa plura id ipsum contestantia, & explicantia tanquam signa à Deo dictata: ergo &c. Probatum min. adducendo omnia signa credibilitatis nostrae Fidei, nempe gloriam miraculorum, Martyrum fortitudinem, miraculorum Fidei extensionem, oracula Sibyllarum, prodigia perpetua, quae late dedimus in Tractatu de Fide num. 570. hæc enim omnia certe se adjuvant, & explicant, nec locum relinquunt ad prudentem formidinem de opposito; ergo &c.

246. Asserto 2. contra Hæreticos: Christus Dominus non quidem phantasticè, aut diminutè, sed realiter, & propriè est verus homo. Probatum 1. Quando sunt plura Scripturæ testimonia se adjuvantia, & explicantia in sermone historico loquente de Christo homine, non possunt ea intelligi de homine phantastico, & diminuto, sed de reali, proprio, & vero; nec ea locutio alium sensum permittit; sed huiusmodi sunt Scripturæ testimonia loquentia de Christo homine: ergo &c. Consequentia tenet, & maj. constat ex regula interpretandi Scripturas; minor verò ex Scripturis narrantibus Matth. & Luc. Christi originem secundum carnem, ejusque conceptionem, & nativitatem; & ex illis, ubi Filius Virginis dicitur, & ubi comedere, ambulare, fatigari, obedire, loqui, mori &c. quæ se adjuvant, & explicant, ac proinde falsa essent, si verum hominem non significarent; ergo &c. Confirmatur. Si Christus non esset verus, sed phantasticus homo, non posset verè dici mori, mereri, pati, & satisfacere pro peccatis, & si esset homo tantum diminutè, non posset absolutè, & absque addito limitante dici homo; atqui Christus verè passus, & mortuus est, verèque satisfecit pro peccatis, idque ipsi non homini aliquando addito limitante tribuitur, ut patet ex toto ferè novo Testamento, & expressè tradit Paulus ad Romanos 5. *Christus pro nobis mortuus est, verèque satisfecit pro peccatis; & infra: scilicet per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; ita multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis; JESU Christi in plures abundavit; ubi Christus Dominus verè, & propriè dicitur mortuus, & absolutè, & absque addito limitante homo non minus, quam primus homo Adam; ergo &c.*

247. Probatum 2. Christus Dominus in novo Testamento sæpe docet, absque addito limitante se esse hominem, aliisque à DEO illuminati id ipsum fatentur, quorum locutionem, & confessionem Christus approbat; ergo non est phantasticè, & diminutè homo. Probatum antec.

Christus Joann. 8. dicit, *quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum; cæcus etiam, cui Christus visum restituit Joann. 9. dixit: ille homo, qui dicitur JESUS, lutum fecit &c.* quem non correxit Dominus, sed ulterius perijt ab illo, ut etiam crederet Filium DEI; tum etiam Joannis 10. ipsi Judæi dicebant: *de bono opere non lapidamus Te, sed quia tu homo cum sis, facis Te ipsum Filium DEI;* Christus autem primum admittens, sed etiam Deum esse, & rectè appellari confirmat; Centurio etiam illuminatus à Deo Marci 15. ait: *verè hic homo Filius DEI erat.*

Confirmatur 1. ex ipso Symbolo Apostolorum, ubi de Christo dicitur, *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIÆ Virgine, Matth. 1. quod enim in ea natus est, de Spiritu Sancto est; Joannis 1. Verbum Caro factum est, & in Symbolo Achanasii, homo est ex substantia Matris in saeculo natus;* quæ testimonia aperte docent, Christum esse verum hominem, & non phantasticè, neque Deipara se habuit tantum ut canalus proferens Christum, sed ipsum reverè genuit ex sua substantia. Confirmatur 2. Christus Dominus ita est simpliciter homo, ut licèt sit circumscriptus Deitate, non tamen corpore, sed eo incircumscriptus, & non ubique existens; sic de Christo viatore dicitur Joann. 6. *cum ergo vidisset turba, quod JESUS non esset ibi; & Joannis 2. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quod non eram ibi;* quæ locutio non esset vera, si Christus esset ubique. Vide plura testimonia apud Eximium Doctorem disput. 32. sect. 4. Unde Concilium Lateranense sub Martino I. in Canon. 4. *si quis non confiteretur Christum circumscriptum corpore, & incircumscriptum Deitate, condemnatus sit.* Ex quibus facile ruunt hæreses relatæ num. 193.

Asserto 3. contra alios Hæreticos: Christus Dominus non est simpliciter, & verus homo, sed etiam DEUS. Probatum 1. ex Joannis 1. *Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est;* & ex confessione Thomæ Apostoli, *Dominus meus, & Deus meus* ad Christum Dominum dicentis, quam confessionem ex vera Fide profectam approbavit Christus; *quia vidisti me Thoma; credidisti;* & Paul. ad Romanos 9. *ex quibus est Filius secundum carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in saecula;* & ipse Christus Joannis 10. *Ego, & Pater unum sumus totum;* & cap. 1. & 2. ad Hebræos eandem veritatem confirmat; ergo &c. Confirmatur etiam ex testimoniis relatæ veteris Testamenti à num. 208. Hæretici enim utrumque Testamentum admittunt, sed ex utroque infertur, Christum esse Deum, ut constat ex dictis; ergo &c.

Probatum 2. Ea, quæ in Scriptura tribuuntur DEO, tribuuntur etiam Christo; ergo juxta Scripturam Christus est verus Deus. Probatum ant. De Deo dicitur Psalm. 67. *ascendisti*

248

249

250

K k

sti

fi in altum &c. quod de Christo exponitur ad Ephesios 4. *ascendens in altum &c.* Isaia 6. de Deo dicitur, *vidi Dominum sedentem*, & de Christo Joannis 12. *hec dixit Isaia, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo*; Isaia 45. de Deo dicitur, *mibi curvabitur omne genu*, & idem de Christo ad Romanos 14. *omnes enim stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, mibi sceleetur omne genu*. Denique Exodi 20. verus Deus ait, se eduxisse populum de Aegypto: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui duxi te de terra Aegypti*; quod Christum fecisse asseritur in Can. Epist. Judæ V. S. *JESUS populum de terra Aegypti salvans*; ergo non solum ex libera, sed etiam ex constantia novi, & veteris Testamenti indicium est, Christum esse verum DEUM.

251. *Affero 4. contra alios Hæreticos.* Inter Divinas Personas solum Verbum incarnatum est. Probatur 1. Joannis 1. exprella mentio fit trium Personarum Divinarum, Patris nempe vers. 4. quasi unigeniti à Patre; Filii verò sub nomine unigeniti: Spiritus Sanctus vers. 32. *vidi spiritum descendantem quasi columbam de Celo*; & tamen ut aliquid singulare, & ipsius Filii proprium dicitur, Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Ubi manifesta fit allusio ad illud Baruch 3. vers. 38. ubi de inventore sapientiæ, & veritatis supernaturalis, quæ est ipsa divina sapientiæ, & veritas dicitur; *post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est*, quod sæpe alibi adstruitur in Scriptura, præsertim cum commendatur charitas Dei erga nos, ut ad Galatas 4. *misi Deus Filium suum*; sed hæc nullibi habentur ex Scriptura, sive ex Verbo Dei scripto, aut de Spiritu Sancto, sed de solo Filio; imò ex Verbo Dei tradito Ecclesia Catholica semper retinet, & retinuit solum Filium incarnatum esse juxta horum testimoniorum veritatem; ergo &c.

252. *Confirmatur.* Quando in Scriptura res aliqua summi momenti revelatur, & asseritur secundum suam constitutionem, dubiumque insurgit, an ea prædicata constitutiva sint positiva tantum, an etiam aliorum distinctorum exclusiva; ac proinde quæritur, an revelatio divina implicite includat alia prædicata, an potius excludat; recurrendum est ad Judicem controversiarum infallibiliter proponentem, & applicantem nobis verum sensum Verbi Dei, quod unice spectat ad Ecclesiæ caput, sive ad Ecclesiam cum suo capite, ut diximus in Tractatu de Fide à num. 400. sic apud ipsos Adversarios illa verba, in quibus revelatur nobis Mysterium Trinitatis Matth. 28. *docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Joannis 3. *tres sunt, qui testimonium dant in Celo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; non solum intelliguntur positive de Trinitate, verum etiam exclusivè, prout excludunt paternitatem, aut majorem numerum Personarum Divi-

narum, ut intelligit semper Ecclesia Catholica, & decimum est à Summo controversiarum Judice.

Constat id aperte ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in Can. 2. *in Deo trinitas est simpliciter, non quaternitas*; atque ex superius allatis Scripturæ testimoniis idem decimum est de Mysterio Incarnationis relatè ad solum Filium, ut constat ex Concilio Lateranensi sub Martino I. Can. 7. *si quis non confiteatur proprie, & vere substantialem differentiam naturarum post infensibilem unionem, ex quibus unus, & solus existit Christus, in eo salvatam, sit condemnatus*, quod reperit Can. 8. & habetur in cap. *firmiter*, de Summa Trinitat. & Fide Catholica in 5. Synodo collat. 8. in Concilio Carthaginensi. 4. cap. 1. *solus tamen Filius humanitatem suscepit dicente, & Tolet. 11. iterum id ipsum definit in explicatione hujus Mysterii, quod non minus constat ex Verbo DEI tradito, quam confitetur Mysterium Trinitatis, ut patet ex contextu Sanctorum Patrum apud Eximium Doctorem disp. 12. sect. 2. & ex Felice III. in condemnatione Fullonis, aliis Conciliis, & Patribus apud Bernal disp. 21. sect. 1. ergo &c.*

Probatur 5. In Scriptura solum Filius dicitur simpliciter missus in terras, & in terra conversatus, ex Matre natus in tempore, solus ipse dicitur manducasse, bibisse, & mortem subisse, aliæque, quæ propria sunt Dei incarnati, nec conveniunt Divinæ Personæ purè apparenti, & per solam puram extrinsecam unionem copus assumendi; ergo solus Filius inter Personas Divinas incarnatus est; cur autem ille solus, attinet ad secretum consilium Dei, quamquam non desint nobis aliqua congruentia, quas innuit Augustinus quæst. novissima, & vet. Testamenti quæst. 113. cujus titulus, cur Filius Dei missus sit, & non alius, ubi ita præfatur; *quamquam omne, quod facit Deus rationabiliter, & prudenter factum credendum sit, melius tamen puto, si post fidem etiam causa facti possit adverti, ut, quod creditur, non ignoratur*. Exinde Eximius Doctor disp. 12. sect. 1. plures congruentias congerit, quas hic subijcio.

Prima congruentia est, ut quantum fieri potest, idiomata essent similia; ut qui ab æterno erat Filius DEI, fieret in tempore filius hominis, & nomen Filii Patri, aut Spiritui Sancto nullo modo communicaretur; ita Damascenus lib. 4. cap. 4. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 4. inquit, si Spiritus Sanctus incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus Sanctus Filius hominis, essent igitur duo Filii in Trinitate Dei, scilicet Filius Dei, & filius hominis, unde quædam nasceretur dubietatis confusio, cum de Dei Filio loqueremur. Secunda est, quia Verbum est exemplar, & sapientia, per quam facta sunt omnia, ideoque decuit, ut per eandem sapientiam incarnatam omnia instaurarentur, juxta illud Pauli ad Ephesios 1. *instaurare omnia in Christo*; ita Augustinus

stinus tract. 17. in Joan. 1. ut naturalis Filius adoptivos Filios honoraret, sibi que faceret similes. Quarta: quia homines perierant cum Adamo appetitu inordinato scientiæ ex Dæmonis suggestione genes. 3. ita ut congruum fuit, ut sapientia genita Patris injuriam vindicaret; ita Bernar. in serm. Domini 1. adventus, quinta: quia Dæmon Primatum perierat, qui Filio deberet; unde decuit, ut per ipsam Filium expugnaretur, ita Augustinus supra cit. cap. 113. sexta: quia Filius est quasi Persona media inter Patrem, & Spiritum Sanctum, quatenus procedit à Patre, & simul cum Patre producit Spiritum Sanctum; ideoque decuit ut etiam esset mediator inter Deum, & homines. Plures afferunt Richard. de S. Victore lib. de Incar. cap. 9. D. Thom. 3. part. q. 3. art. & lib. 4. contra gentes cap. 42. Alex. Alenf. 3. part. q. 2. membro 4. & alii Theologi in tertium sentent. dist. 1. & 5.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

256. **O**bjicies 1. contra primam assertionem ex Paganis Philosophis Muro sectantibus. Solum possumus, & debemus assentiri firmiter rebus evidentibus, atqui Mysterium Incarnationis non est evidens ergo &c. Confirmo. intellectus est potentia necessaria, sed potentia necessaria non potest assentiri, nisi necessario ex necessitate evidentiæ: ergo &c. Respondeo: dist. maj. assensu non requirente imperium voluntatis, omitto, assensu præsupponente imperium voluntatis, nego maj. & conc. min. nego conseq. Ratio est, quia intellectus utpote potentia necessaria necessitari potest non solum ab evidentiâ rei, sed etiam ab apparentiâ evidentiæ, & patet in illis, qui firmissimè, & tenaciter suis erroribus adhærent, censentes, affectiones suas non quidem erroneas, sed veras, & evidentes esse; ex quo patet majorem ab Adventu assumptam esse falsam, illa tamen per missa de assensu non requirente voluntatis imperium adhuc major illa propositio est aperitissimè falsa, si loquatur de assensu præstito impellente voluntatis imperio circa objectum, quod neque in re, neque in evidentiâ apparenter proponitur, si proponatur cum motivo prudenti ad assentiendum, ut patet in assertionem probabilis; vel si proponatur cum evidenti obligatione ad assentiendum firmissimè absque illa formidine, ut patet in actibus Divinæ Fidei, & dicemus num. sequenti. Ad confirmationem conc. maj. & nego min quia intellectus necessario assentitur necessitati immediata, sive necessitetur ab evidentiâ objecti, sive ab imperio voluntatis, cum hoc tamen discrimine, quod, quando requirit liberum voluntatis imperium, actus ille est mediate liber, & meritorius in illa pia affectione

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. II.

voluntatis imperante, ut latè diximus in tractatu de fide à num. 570. & hic breviter explico.

Intellectus enim, circa objecta fidei non requirit evidentiâ, ut firmissimè, & absque ulla formidine assentiatur, sed requirit solum evidentiâ obligationem assentiendi firmissimè, & absque ulla formidine; hæc autem evidens obligatio oritur ex signis credibilitatis nostræ Fidei indicatis num. 243. quæ talia sunt, ut nullam prudentem excusationem homini relinquunt, si nolit amplecti Fidem, quam tot signis contextatam esse videt; quando enim aliqua obligatio nobis proponitur, quin ulla appareat ratio prudentis excusationis eo ipso manemus evidenter obligati; proindeque sumus evidenter obligati ad amplectendam Fidem Catholicam, & assentiendis articulis Fidei propter verbum Dei; cumque ista obligatio exigat circa res Fidei firmissimum assensum absque ulla formidine per simplicem adhesionem ad Verbum Dei, tenetur voluntas imperare intellectui firmissimum istum assensum, in quo stat maximum Fidei meritum, & intellectus captivitas in obsequium DEI, ita, ut nulla maneat intellectui formido juxta exigentiam verbi Dei digni tali assensu, satisque approximati per illam evidentiâ obligationem. Unde Paul. ad Galat. 1. ait, licet nos, aut Angelus de celo Evangelizet vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis, Anathema sit; notum enim vobis Fratres facio Evangelium, quod Evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem; neque ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem IESU (Christi); quamobrem Innoc. XI. inter 65. propositiones damnavit 21. quæ sic habebat; assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabilis revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Objicies 2. contra secundam assertionem: 258. Christus Dominus egressus est de thalamo virginali Matris penetrando, ac inviolatum relinquendo virginalem uterum; egressus est, sepulcro penetrando lapidem, & Januas penetrans ingressus est cænaculum; sed hæc probant Christi corpus non fuisse verum, sed phantasticum, vel non assumpsisse integram humanitatem, aut solum retinuisse accidentia naturæ humanæ, per transubstantiationem humanitatis in divinitatem: ergo &c. Respondeo conc. maj. nego min. quia ea omnia facta sunt miraculosè à Christo Domino ad ostensionem suæ virtutis; corpus autem verum, & integrum divinitus penetrare potest, eo modo, quo penetratum est in Mysterio Eucharistiæ; unde ea omnia quàm optimè componuntur cum vero, & integro Christi corpore, veraque, & integra humanitate, quam nobis tradunt Scripturæ citatæ; ac proinde licet Christus non assumpserit substantiam creatam, assumpsit tamen omnia prædicata constituti-